



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 119. Papa de Pragmatica Sanctione conquestus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C. 1459

§. CXIX.

*Papa de Pragmatica conquestus.*

Post hæc Papa sermone speciatim ad Galliæ Legatos, ac Renatum Andegavensem converso hæc effatus est, se satis mirari haud posse, Francos a se tam insignem præstolari gratiam, qualis esset Regni possessio Galliæ Principi concedenda: cum tamen ipsi Sanctionem pragmaticam tueri non desisterent, ac adeo abominandam agendi normam usu firment, & velut Ecclesiæ Legem venerentur, licet id, plus quam exprimi posset, Pontificiæ auctoritati injuriosum foret statutum. Equidem Franci hisce Papæ querelis reponere potuissent, & abs dubio etiam reposuerunt (\*), quod ipsemet Pragmaticam hanc Sanctionem acceptaverit, ratamque habuerit in Basileensi Synodo, a qua hæc lex condebat, & ipse hujus Concilii pars maxima erat, ac studiosissimus illius fautor. At tamen Æneas Sylvius ad Cathedram S. Petri evectus, cum nomen, statusque sui con-

(\*) Hæc Legatos reposuisse, vix credibile videtur; facile enim Papa eisdem objicere potuisset, quod Galli Æneæ Sylvio ut simplici Secretario ad Sanctionem pragmaticam concurrenti, non vero eidem ut Pontifici illam revocanti, ac damnanti obedire velint.

conditionem mutasset, mutavit & sententiam, nec ultra egit privatum ac simplicem Basileensis Concilii Secretarium; unde, ni fallor, ubi Pragmaticæ Sanctionis mentionem fecerat, in oratione sua affirmavit, se non amplius Francorum gentem iis Apostoli verbis alloqui posse: *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo, quamdiu illi sanctionis hujus maculam seu rugam non deponerent.* Tandem de modo, quo ejusmodi lex introducta fuerat, differit his verbis: quomodo introducta sit, ipsi nescitis: certe non auctoritate generalis Synodi, nec decreto Romanorum Pontificum recepta est: Verum quo animo hæc Pontificis oratio in Galliis excepta fuerit, mox edocebimus.

Sæcul. XV.  
A.C. 1459.

*2. ad Cor. II. v. 2.*

§. CXX.

*Responsio Legatorum Franciæ ad Orationem Pontificis.*

Respondent Pontifici Francorum Legati, haud eorum obliti, quæ de Pragmatica Sanctione Papa differuit. *Arguitur, inquit illi, ipse Dominus noster Rex, quod Pragmaticam Sanctionem in suo regno sustinet, quæ privilegiis Sedis Apostolicæ derogare prætenditur: atque exinde regnum ipsum rugam, atque maculam contraxisse allegatur. In qua re pro defendendis*